

versos, prædictam excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt etiam moniales et fratres conversi vere professi inducentes ad electionem sepulturæ voto, juramento vel pacto, ut tradunt communiter doctores cum Samuëlo, *De sepulturis*, tract. 1, disp. 2, contr. 1, conclus. 5, n. 12.

(124. Non incurrunt tamen dictam excommunicationem, aliasque pœnas sæculares, seu laici, etiamsi voto, vel juramento, seu pacto, vel promissione irrevocabili inducerent aliquem ad sepulturam eligendam in aliqua determinata Ecclesia, quia dictæ constitution. in cit. cap. *Animarum*, et in cit. Clementin., *Cupientes*, loquuntur solum de religiosis et clericis sæcularibus, et non de sæcularibus seu laicis. A diversis autem non fit illatio. *Leg. Papinianus* 20, De minoribus; cap. *Ad audientiam* 12, De decimis. Nam ad incurrendam talem juris pœnam necesse est, ut sint religiosi, vel clerici ecclesiastici. *Monacell.*, tom. III, tit. 1, formul. 38, num. 41; *Medices*, *De sepult.*, part. 1, q. 8, n. 18; *Ventriglia*, *loc. cit.*, n. 41; *Samuel.*, *loco cit.*, concl. 20, num. 46 et 47, et alii passim.

(125. Aliæ pœnæ, quibus ultra excommunicationem subjacent, ut supra, inducentes voto, juramento, pacto seu promissione irrevocabili ad eligendam sepulturam, vel jam electam non immutandam, sunt, quod tales religiosi seu clerici sæculares teneantur intra decendium, tam ad restitutionem sepulcorum corporum, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerunt quomodolibet ad eosdem. Et si dictam restitutionem integraliter non fecerint, eorum ecclesiæ et cœmeteria subiaceant interdicto, donec satisfecerint, textu expresso in cit. cap. *Animarum* 1, De sepult. in 6, § *Si vero*, ibi: « Si vero iidem religiosi, vel clerici prædictos in suis ecclesiis vel cœmeteriis præsumperint sepelire, ad restitutionem tam sepulcorum corporum (si petantur) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem infra decendium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus, quam nisi fecerint, ecclesiæ ipsæ apud quos sepulti fuerint, nec non cœmeteria earundem extunc eo ipso sint, et tandiu maneant ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. »

(126. Insuper in cit. cap. *Animarum*, § *Nos enim*, statuitur, quod electio ad hujusmodi inductionem facta ipso jure sit nulla, debeantque ita eligentes ibi sepeliri, ubi nulla electione facta alias de jure debuissent; ibi: « Nos enim, si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis, statuentes ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas ecclesias nullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum aut promissum hujusmodi a se factum, materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam, sed contradictione quacunque cessante, sepeliantur omnino apud illas ecclesias, apud

quas sepeliendi de jure fuissent, si alias sepultura non electi forsitan decessissent. »

(127. Sepulturæ infra terram et deposita, seu cadaverum conditoria in tumbis profundis sunt collocanda, et eorum opera æqualia debent esse cum solo Ecclesiæ. *Concil. Mediolanens.* 1, p. II, tit. *De sepulturis*. Et S. Pius V, constitut. 5, incip. *Cum primum apostolatus*, § 8, ibi: « Et ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (hoc est ordinarii) provideant, ut capsæ omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. »

(128. Solis enim Summis Pontificibus competit prærogativa, ut eorum corpora sepeliantur in conditoriis elevatis a terra, ut videre est in basilica Vaticana. Ut ne quidem personæ regales ea præeminentia gaudeant, ut novissime praxis docuit de cadavere Christianæ reginæ Suecorum sepulto in eadem Basilica sub terra. Sic expresse eminent. card. Petra, tom. II *Commentar. ad constitut.* 3 *Cælestini III*, sect. 1, n. 13.

(129. In dicta tamen S. Pii V dispositione non comprehenduntur monumenta marmorea muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis cadaveribus a locis altis, quia hæc nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt ecclesiis. Sic sacra congreg. Episcop. et Regul., rescripsit episcopo Mantuano 13 Octobris 1579, apud Nicol., in *Floscul.*, verb. *Sepultura*, n. 2.

(130. Sepulturæ debent esse remotæ ab altaribus, ita ut sepulturæ ostium longe absit ab altaris scabellis ligneis, seu prædella cubitis ad minus tribus. *Concil. Mediolanens.* 1, part. II, *Decret. Visitat. Apostolic.*, verb. *Sepultura*, ibi: « Sepulcrorum ipsorum in posterum ædificandorum ostium longe absit ab altaris scabellis ligneis, vel prædella cubitis ad minus tribus: sepulcra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant. »

(131. Hinc nemo sepeliendus est prope altaria, seu sub prædellis, et si quæ inibi reperiantur constructæ sepulturæ, interdiciuntur altaria, donec amotis ossibus ibi sepulcorum, sepulturæ terra repleantur, et muro obstruantur. Sic pluries decrevit sacra congreg., ut videre est sub verb. *Altare*, ubi afferuntur decreta, et sub verb. *Cadaver*.

(132. Sepulturæ construi possunt in quovis loco religioso, id est ubi divina officia celebrantur. *Communis*, per text. in cap. *Fraternitatem* 3, De sepulturis, cap. *Animarum* 1, et cap. *Cum quis* 2, eod. in 6. Et quidem in loco etiam minus religioso, id est ubi divina officia minus frequenter celebrantur. *Communis*, argum. cap. *Cum quis* 2, § *Si quis*, De sepulturis in 6, ibi: « Si quis antiqua dimissa, novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari. » Pro loco autem minus religioso in-

telligitur talis locus, qui religiosus quidem est, sed tamen minus talis, utpote in quo minus frequenter officia divina, missæ aut publicæ orationes fiunt, ut explicat Glossa communiter recepta in cit. cap. *Cum quis*, verb. *Casus*.

(133. Admonet tamen Glossa, *ibid.*, melius et utilius esse sepulturam construere, et sibi eligere in magis religioso loco, hoc est in loco, ubi magis celebrantur divina. Quod idem expressius docet rationem reddens alia Glossa, in cap. *Fraternitatem* 3, De sepulturis, verb. *Frequentius*, ibi: « Hæc est ratio, quare potius sepeliuntur homines in locis religiosis, quia frequentius ibi divina officia celebrantur. » Ad quod aperte facit expressus textus in cit. cap. *Fraternitatem*, ibi: « Fraternalitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulcra et cœmeteria apud illas ecclesias et monasteria, ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum Fratrum conventus sunt constituti, et orationes, atque missarum solemnitas, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur. »

(134. Hinc Bordonus, tom. II, resolut. 51, num. 87; Pellizzarius, tom. II sui *Manual.*, tract. 8, cap. 5, sect. 4, subnect. 24, sub n. 144; Donatus, tom. III, tract. 10, *De sepultur.*, q. 8, et alii expresse docent, melius et utilius esse sepulturam sibi construere et eligere in ecclesiis regularium, quam aliorum. Et ratio est clara, quia sepulti in ecclesiis regularium ex frequentiori divino officiorum celebratione plus de piis operibus participant, cum etiam ex majori frequentatione populi occurrentis ad divina officia in dictis ecclesiis audienda frequentior de ipsis fiat memoria sicque frequentius orationes, et suffragia pro ipsis Deo offerantur. Quod clare indicant verba ipsa cit. cap. *Fraternitatem*, ibi: « In quibus religiosorum Fratrum conventus sunt constituti, et orationes, atque missarum solemnitas, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur. » Tum quia in dictis ecclesiis sepulti cum habitu religioso lucrantur indulgentiam plenariam ex indulto Leonis X, ut patet ex dictis sub verb. *Habitus*.

(135. Quamvis enim olim de jure communi sepulturæ construi et eligi potuissent solum in ecclesiis parochialibus, earumque cœmeteriis, utpote solis habentibus fundatam pro se intentionem, ita omnes parochiani ibidem sepeliri deberent, per text. in cap. *Nos instituta* 1, cap. *Fraternitatem* 3, cap. *In nostra* 10, De sepulturis, cap. *Cum quis* 2, eod. in 6; Clementin. *Dudum*, § *Verum*, De sepulturis, cum similibus; (136. tamen hodie possunt etiam construi et eligi in ecclesiis regularium ex speciali privilegio juri communi inserto, Fratribus Prædicatoribus et Minoribus concessio in Clementin., *Dudum* 2, § *Hujusmodi*, De sepulturis, et extravagant. *Super cathedrales* 2, § *Hujusmodi*, De sepulturis, quo privilegio gaudent omnes alii regulares, tum per communicationem, tum per speciales sibi ad id

factas a Sede Apostol. concessionem, ut videre est in compendiis privilegiorum regularium, testaturque communis doctorum, et docet praxis universalis.

(137. Excipiuntur tamen ecclesiæ monialium, in quibus non possunt construi, nec eligi sepulturæ a laicis seu sæcularibus utriusque sexus absque speciali licentia sacre congregationis, et copulativa monialium. Sic pluries decrevit sacra congreg. Episcop. et Regul., et signanter in *Montefeltrin.* 21 Novembr. 1603, in *Gravin.* 1 Octobris 1650, his verbis: « Nelle chiesa anco esteriori delle monache non si possono sepelire esteri, e forestieri, nè uomini, nè donne, nè anco principi, ancorchè vi fossero sepolti i loro maggiori. » Sic ex Pignatell., tom. IV, consult. 117, n. 1, refert et tenet card. Petra, *loc. cit.*, n. 29. Idem decrevit in *Forosempronien.* 25 Augusti 1652, et in *Maceraten.* 8 Novembris ejusdem anni; quæ decreta bene ponderata iterum probavit ead. sac. congr. Episcop. et Regul., in *Vercellen.* 18 Maii 1695, *non obstante solito, referente eminentiss. Pamphil.*, et in *Mantuana* 14 Martii 1697, *Ponente eminentiss. Acciajolo*, et in *Camerinen.* 6 Martii 1713, *Ponente eminentiss. Corsino* ex post Summo Pontifice sub nomine Clementis XII, et sæpe alibi teste Ursaya, tom. I, discept. 36, num. 18.

(138. Solet tamen concedi licentia in sacra congregatione, tam pro construendo sepulcro, quam pro eligenda sepultura in ecclesiis monialium, ut declaravit requiri in *Ferrarien.* 13 Julii 1600, pro personis benemeritis, vel cum elemosyna competente. Ead. sac. cong. Episcop. et Regul., in *Messana* 6 Augusti 1601, in d. *Camerin.* 6 Martii 1713, *Ponente D. eminentissimo Corsino*. (139. Et tunc officium facit parochus usque ad portam ecclesiæ, et non ultra, exsequias complente ex post confessario monialium. Ead. sac. cong. Episcop. et Regul., in *una Observantium* 9 Junii 1615 et sac. cong. Conc. 19 Martii 1639, teste d. Ursaya, tom. I, part. I, discept. 8, num. 13, 27, 28, 29 et 30.

(140. In casu autem, quod quis electa sepultura in ecclesia monialium, non posset defectu licentiæ in ea sepeliri, tunc si is non haberet sepulcrum majorum, deberet sepeliri in parochiali per dicta et jura adducta supra n. 93, et in terminis tenent *Passerin.*, *De statib. hom.*, t. II, q. 187, art. 4 n. 260; card. Petra, *l. cit.*, n. 33 in fine dicentes si impedimentum esset temporaneum, et speraretur obtinenda licentia, posset tunc expectari, deposito cadavere in aliquo loco. *Matthæucci*, *loc. cit.*, n. 4, et alii.

(141. Sepulcra nova construi non possunt in ecclesiis sæcularibus absque licentia in scriptis oblata ab episcopo et in ecclesiis regularium saltem a provinciali. *Concilium Mediolanense* 1, n. 2, tit. *De sepultur.*, vers. *Verum curet*, et S. Pius V, cit. constit. *Cum primum apostolatus*; *Barbos.*, lib. II *Juris eccles. univers.*, c. 10, n. 9, cum pluribus ibi citatis, et alii passim.

(142. Regulares nequeunt de se rennuntiare juri sepeliendi cadavera eligentium sepulturam in eorum ecclesiis, si agatur de eorum ecclesiis seu monasteriis jam fundatis seu erectis, sed tunc requiritur Beneplacitum Apostolicum, et solemnitas copulative requisita in alienatione, etiam jurium ecclesiarum, ita ut nullus superior, nec localis, nec provincialis et nec generalis possit per ullum pactum præjudicare juri quæsito sepeliendi. Arg. Extravag. *Ambrosæ Pauli II*, De rebus Ecclesiæ non alienand. inter commun. Ipsa enim Extravagans procedit verbis amplissimis et comprehendentibus jura, nam utitur verbo, *rerum*, quo vocabulo intelliguntur etiam jura et actiones, textu expresso in l. *Rei appellatione* 23, ff. *De verbor. significatione*, ibi: « Rei appellatione, et causæ, et jura continentur, » maxime stante dictione universali, *omnium*, quæ est universalissima per Barbos., dict. 241, et nihil excipit. « Qui enim dicit omnia, nihil excipit. » C. *Solitæ* 6, § *Nobis*, De majorit. et obedient., cum similibus.

(143. Nec obstant c. *Pactum* 1, et c. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6, ubi statuitur, quod si regulares cum parochis specialiter paciscantur, quod privilegio sepulturæ pro ecclesiis et locis suis concessio, ex toto vel ex parte uti nolint, vel non, nisi cum certis circumstantiis, pacta hujusmodi servare debeant: « Quanquam sepultura libera sit monasterio vestro ab Apostolica Sede indulta, et illi apud vos elegerint sepeliri, » ut expresse dicitur in cit. c. *Pactum* 1, De pactis in 6, ubi etiam ratio subjungitur his verbis: « Cum per dictum pactum indulto hujusmodi derogetur; » et si factum sit sine præcitu, consensu et auctoritate provincialis et generalis, quinimo etiam Sedis Apostolicæ, « Dummodo a prioribus, aut guardianis facta vel approbata fuerint de suorum conventuum consilio et assensu (dum tamen alias sint licita et honesta, » ut expresse dicitur in cit. c. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6.

(144. Non obstant, inquam, quia cit. c. *Pactum* nihil dicit contra nos, sed solum statuit, posse per pactum privilegio derogari, quod verum est, si adsit legitima causa et solemnitas requisita. Et aliud cit. cap. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6, optime exprimit, ut pacta observanda sint *licita et honesta*, quæ nequeunt sic considerari post jus quæsitum monasteriis et populis, qui in fundatione monasteriorum acquisierunt jus et liberam facultatem sepulturas ibi eligendi et respective tradendi. Unde prædicti textus non loquuntur, nec intelligendi sunt de pactis initis post fundationem conventuum, et jus quæsitum pro sepulturis, sed solum de pactis initis ante fundationem, et jus quæsitum, et de quibusdam concordis factis per viam transactionis et compositionis, ad tollendas dissensiones; et dato, non concessio, quod intelligerentur de pactis initis post fundationem, et jus quæsitum, ipsis quoad hoc fuisset derogatum per dictam Extravagantem *Ambrosæ*, utpote postero-

rem dictis textibus sexti decretalium, cum posteriora derogent prioribus per text. in c. *Licet Romanus* 1, De constitut. in 6, l. *Sed et posteriores*, ff. *De legibus*, cum similibus.

(145. Si autem agatur de regularium ecclesiis et monasteriis nondum fundatis, sed fundandis, seu erigendis, tunc si in limine fundationis fiat pactum cum parochis de non recipiendis ad sepulturam illius parochianis, sine expressa ipsius licentia, tale pactum erit omnino observandum, juxta cit. cap. *Pactum* 1, et cap. *Quia ex eo* 3, De pactis in 6, et cap. *Antigonus* 1, De pactis, ibi: « Inita pacta suam obtineant firmitatem pacta custodiantur, » et cap. *Qualiter* 3 eod., ibi: « Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur; » et concordat l. *Hujus edicti* 1, ff. *De pactis in principio*. Ubi expresse dicitur: « Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare? » Nec hic obstat cit. Extravagans *Ambrosæ*, quia in hoc casu agitur de solo jure quærendo; unde non potest dici, quod alienetur jus ecclesiæ: sicut enim parochus debet audiri, et non poterit impedire constructionem novi monasterii ratione præjudicii sibi inferendi; ita potest pacto, hujusmodi præjudicio re integra ante erectionem occurrere, prout passim in limine fundationis possunt apponi conditiones etiam juri communi non conformes, dummodo sint honestæ, ut in genere tradunt communiter doctores, et in specie in his terminis præcise Rota, part. XIX, tom. II, recent. decis. 477, n. 7 et 8, et decis. 489, n. 7 et seq., expresse canonizando pactum cum parochis in limine fundationis monasterii circa hoc jus sepeliendi; tum quia similia pacta facta in limine fundationis conventuum videntur transire sub approbatione Sedis Apostolicæ, quæ non solet concedere facultatem pro conventibus de novo erigendis, nisi sint prius auditi ordinarii, et constet de partium consensu. Sic pluribus adductis card. Petra, in cit. *Constitut. 3 Cælestini III*, a n. 22; Matthæus., *loc. cit.*, n. 2, et alii. Rota tamen cit. decis. 489, n. 6, tenet, quod dictum pactum valeat, nedum pro ecclesiis adhuc construendis, sed etiam pro jam constructis, per text. et doctor. in cit. cap. *Pactum* 1, et cap. *Quia ex eo*, De pactis in 6.

(146. An autem pacta, conventiones et concordie factæ per viam transactionis a superioribus localibus, sine licentia generalium seu provincialium cum parochis quoad sepulturas et funeralia pro tollendis dissensionibus inter ipsos, valeant et debeant de jure sustineri? Vide verb. *Pactum*, art. 2, n. 27 et 28.

(147. Quamvis proprietates et dominium sepulturæ ab aliquo acquiri non possit, ex quo sit quid religiosum, et in nullius bonis sit, et extra commercium hominum esse dicatur, et ob id nec acquiri ab aliquo, nec possideri possit. Leg. *Quanquam*, ff. *De aqua pluvial. arcend.*, leg. *Si sepulcrum*, cod. *De*

relig. et sumptib. funer., Rota, part. III, recent. decis. 22, n. 2, et communis doctorum; (148. jus tamen, et usus sepulturæ, sive sepeliendi acquisibile est, ita ut qui acquisivit, in eo sepeliri possit, ac cæteros, ne ibi sepeliantur prohibere. Leg. 2, § *Ususfructum*, l. *Familiaria*, et l. *Sequent.*, ff. *De religio. et sumptib. funer.*, l. *Jus sepulcri*, cod. eod. tit.; Rota, *loc. cit.*, n. 2, citans alias decisiones et communem doctorum.

(149. Ad hoc autem jus sepulturæ acquirendum ad alios privative requiritur licentia ædificandi ab initio sepulturam una cum ipsa ædificatione subsecuta. Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disp. 1, contrav. 5, conclus. 6; Lambertin., *De jurepatronat.*, part. 1, art. ultim., vers. *Bene verum*, et vers. *Si de cætero*; Barbos., *De offic. et potest. parochi*, part. III, cap. 26, n. 12, et lib. II *Jur. eccles. univers.*, cap. 10, n. 12; Rota, in *Burgensi sepultura* 19 Decembris 1605, coram Oltembergo.

(150. Nec censetur tale jus quæsitum ex solo cursu decennali et cadaverum illatione, ut in dict. *Burgensi ac Calaguritana sepultura* 21 Maii 1616, coram Coccino decano; Barbos., *locis citatis*, n. 13; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, disp. 1, contrav. 4, post conclus. 6, et alii.

(151. Nec etiam jus sepulturæ censetur acquisitum privative quoad alios ex jurepatronatu, quod quis habet in Ecclesia. Rota, in *Toletana capellanæ et sepulturæ usus* 26 Julii 1616, coram Ubaldo; Samuel., *loc. cit.*, n. 14; Lambertin., *loc. cit.*, q. 11 in princip., § 13. Concessa enim simpliciter capella, non dicitur concessum jus sepulturæ, prout fuit resolutum, in *una Avenionensi concessionis capellarum* 13 Januarii 1587, coram D. Litta; sed si patronus loco patenti dictæ capellæ foderet sepulturam, episcopo seu rectore ecclesiæ non contradicente, præsumeretur licentia tacita. Sic Riccius, in *Prax.*, part. I, resolut. 39, n. 6, qui ad tollendas differentias dat cautelam notariis, ut in similibus contractibus apponant clausulam: *Cum jure funerandi*; Ventriglia, tom. I, adnot. 1, § 2, n. 25.

(152. Censetur autem jus sepulturæ quæsitum et pro tali probatur esse commune familiæ ex inspectione litterarum et armorum in insculptione, quæ demonstrant rem esse de pertinentia ejus, cujus sunt arma, cum imprimi non potuerint, nisi de voluntate prælati Ecclesiæ, cui spectat cura rerum hujusmodi. Rota, part. XVII, recent. decis. 139, nu. 4, 5, 6 et 7; Mascard., *De probationib.*, conclus. 1297; Barbos., *loc. cit.*, n. 15, cum alijs ibi allegatis.

(153. Jus sepulturæ familiaris transit ad omnes descendentes de familia ejus, qui sepulcrum construxit vel alio legitimo modo sibi, et familiæ suæ acquisivit. Et in tali sepultura soli ipsi sepeliri possunt. Cit. l. *Familiaria* 5, ff. *De religio. et sumptib. funer.*; Rota, part. III, recent. decis. 22, n. 3; Samuel., *loc. cit.*, conclus. 6, cum pluribus ibi citatis; unde tale jus sepulturæ familiaris retinet etiam femine quæ in aliam fa-

miliam transeunt, sive proximiores, sive remotiores sint, leg. *Liberorum*, ff. *De verbor. signif.* Sicuti etiam omnes descendentes ex ipsis. Rota, part. II, recent. decis. 22, n. 3, cum ibi allegatis.

(154. Jus sepulturæ hæreditariæ transit ad hæredes et successores ejus, qui sepulcrum construxit, vel alio legitimo modo sibi et hæredibus, seu successoribus suis acquisivit. Et in tali sepultura soli ipsi sepeliri possunt. Cit. l. *Familiaria* 5, ff. *De relig. et sumptibus funer.*, et leg. *Jus sepulcri*, cod. eod. tit.; Rota, cit., part. III, decis. 22, n. 3; Molina, lib. I, *De Hispaniar. primogenit.*, cap. 24, n. 5; Joan. Bapt. st. Asi., in d. leg. *Familiaria* 5, ff. *De religio. et sumptibus funer.*, et alii passim. (155. Et tale jus transit etiam ad hæredes extraneos, cit. leg. *Familiaria* 5, cum leg. seq., ff. *De religio. et sumpt. funer.*; Rota, part. II, recent. decis. 126, n. 3; Molina, *loc. cit.*, n. 9 et alii.

(156. Pro jure sepulturæ, sive ut aliquis in certo loco ecclesiæ aut cæmeterii sepeliri possit, a iquid tanquam pretium exigere Simoniacum est; est enim rei spiritualis venditio pro re temporali. Et sepultura in tali sensu accepta nullatenus vendi potest, sed gratis est præstanda defunctis per eorum parochos. *Communis*, text. expresse in cap. *Abolenda* 13, De sep.

(157. Usus autem vendendi capellas pro inibi construenda sepultura non est Simoniacus, quia id, quod datur, est per modum elemosynæ ad reparationem ecclesiæ, vel ad sustentationem ministrorum illius, et non pro pretio, sicuti datur stipendium pro divinis et missis celebrandis. Barbos., *loc. cit.*, n. 16; Portell., in dub. *Regular.*, verb. *Sepulturam*, n. 8; Suarez, tom. I, tract. 3, cap. 14, num. 22; Donat., *loc. cit.*, tract. 9, q. 3, n. 2, cum alijs ibi allegatis, et alii passim.

(158. Sic ratione honorabilioris situs seu dignioris loci potest esse licita pretii receptio pro sepultura cum hoc non videatur concernere spiritualia, sed tantum honorem et præeminentiam, quæ potest pretio æstimari et vendi; hujusmodi enim situs honorabilior et dignior locus non est ad sepulturam necessarius, ac idcirco non venditur sepultura, nec sacrum; et ecclesia habet cæmeterium, ubi gratis fideles sepeliuntur, adeoque, etc. Sic Samuel., *De sepulturis*, tract. 2, contrav. 13, conclus. 8, cum innumeris alijs ibi citatis; Barbos., *loc. cit.*, n. 16, cum plurimis ibi allegatis et communissima aliorum.

(159. Unde potest sine Beneplacito Apostolico concedi situs pro construenda capella ac sepultura, ut censuit sac. congregatio Concilii, in *Melitensi Alienationis*, die 6 Septem. 1659, in qua proposito dubio: « Archipresbyter et parochus Collegiæ Oppidi Seminariæ reverenter exponit, clerum loci ad procurandam fabricam antedictæ ecclesiæ, illi donasse ad proximum futurum triennium jus exigendi ab officialibus laicis assem unum pro quolibet rotolo carnis pro certo numero rotolorum competente cleri-

cis illius loci ratione exemptionis ipsius debita a gabellis laicalibus; cui donationi patet additum fuit, ut procurator ejusdem ecclesie sepulcrum pro clero in ea constituere teneatur; idem archipresbyter, attenta dispositione sacri concilii Tridentini, et sacerorum canonum, et precise Extravagantis *Ambitosæ* prohibentis alienationes bonorum et jurium ecclesiasticorum, reverenter supplicat declarari. » An prænarrata donatio absque Sedis Apostolicæ Beneplacito facta, fuerit valida? Sacra congregatio respondit, *Affirmative*.

(160. Si autem concedatur usus privativus capellæ, seu sepulturæ jam constructæ, cum sit vera alienatio, requiritur Beneplacitum Apostolicum. Et revera solent regulares recurrere ad sacram congregationem pro ejusmodi concessionibus capellarum et sepulcrarum jam constructarum, ut actum fuit pro Patribus Augustinianis Discalceatis Sancti Nicolai Tolentini urbis, pro concessione capellæ jam constructæ episcopo Terracineni Monacho pro pretio scutorum mille, et sub die 17 Novemb. 1708 Beneplacitum fuit concessum. Sic refert et tenet card. Petra, tom. VI *Commentar. ad constitut. 5 Pauli II*, sect. 2, num. 19; Rota, in *Bononiens. sepulturæ* 13 Maii 1570, coram Litta; Navarr., consil. 1, *De sepultura*; Donatus, tom. I, part. II, quæst. 79; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 698; Matthæucc., *Officia. Curia*, c. 44, *Quoad res ecclesiarum et monasterior. non alienandas*, n. 22, et plures alii loquentes indiscriminatim de omnibus.

(161. Loquendo autem de Fratibus Minoribus, speciali jure prohibentur sine Beneplacito Apostolico capellas et sepulcras vendere seu alienare, transferendo in alios dominium et proprietatem earum; habetur expresse ex declaratione sacræ congregationis ab Urbano VIII, consultationibus Fratrum Minorum præpositæ in *Bullar. tom. IV*, ad constit. 49, incip. *Sacrosanctum*, præcipientis observantiam Ordinationum, prout in textu, § *Cum asseratis*, vers. *Item statuitur*, ibi: « Item statuitur, ut deinceps nulla instrumenta publica fiant, a Fratibus capitulariter congregatis, nec quocumque alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium et proprietates alicujus capellæ, sive sepulturæ, cum hoc omnino sit contra regulam, et repugnet nostro instituto; nam quomodo aliquis dat quod non habet? Si tamen occasio se obtulerit, in qua oporteat satisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos nostræ regulæ et instituto congruentes. » *Vid. verb. Votum*, art. 2, num. 93 et 95 et sequent., ubi refertur integra talis declaratio.

(162. Modi autem nostræ regulæ et instituto congruentes sunt, quod in concessione capellæ vel sepulturæ non intercedat mercatus vel venditio, nec deducatur in patet aliqua solutio pro illis; neque aliqua civilis obligatio superveniat; sed solummodo concedatur titulus honorificus et usus facti, fabricandi, ornandi, illuminandi, para-

mentis decorandi capellam, et in illa fodiendi sibi et suis sepulcrum, ac in illa se suosque sepeliendi. Sic enim non contrafit regulæ, nec capella, aut sepultura dicitur alienari, cum dominium et proprietates non transferatur, nec persona, cui conceditur, possit censeri domina ut notant Ameno, *De penis*, tit. 3, *Alienatio bonorum*, num. 12; Sanctorius, *De penis*, cap. 7, difficultat. 6, fol. 648; Lantusca, *Theatr. regular.*, verb. *Alienatio*, num. 4; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 696; Matthæucc., *loc. cit.*, numer. 26 et 27, ubi Sannig., *Schol. canonic.*, tom. II, lib. III, cap. 4, num. 2, subjungit, quod syndicus, tanquam œconomus Sedis Apostolicæ, posset per modum eleemosynæ recipere quicquid libere daret is, cui fuissent prædicta concessa.

(163. Habens propriam sepulturam suis sumptibus pro se ac suis successoribus constructam, non committit Simoniam, si eam vendat quoad materiale fundi, et respectu habito ad solas expensas factas in illa ædificanda; ibi enim non venditur quid spirituale, cum non vendatur benedictio seu consecratio sepulturæ, sed solum illud materiale fundi, ad quod alia sequuntur, quia loca similia jure hæreditario de parentibus transferuntur in filios ratione temporalitatis in eis remanentis seu existentis. Sic Barbosa, Lambertin., Suarez, Lavorius, Sanchez, Lezana citati et secuti a Samuel., *loc. cit.*, conclus. 16, ubi testatur de communi sententia.

(164. Jus sepulturæ amittitur per Simoniam, per rectoris occisionem, per hæresim, per crimen læsæ majestatis, aut si vivus in ea sepeliatur, et aliis modis de quibus Lambertin., *De jure patronat.*, lib. III, q. 9, art. 7; Samuel., *De sepulturis*, tract. 1, disput. 1, contr. 8, conclus. 1, et aliis ibi allegatis; Barbosa, *loc. cit.*, n. 39, et alii.

(165. Sepultura vel capella alicui concessa pro se et suis descendens, conventus seu monasterium eis illam auferre nequit, cum talis sepultura vel capella reputetur tanquam hospitium, in *capell. Ebron.* 2, caus. 13, quæst. 2. (166. Exstinctis vero domino et illius descendens, tunc potest conventus libere sepulturam alteri concedere; nam mortuo usuario, usus ille redit ad proprietarium libere, leg. pen. cod. *De usufruct.*, et l. *Si habitatio*, § final., ff. *De usu et habit.*; Samuel., *De sepultur.*, tract. 1, contr. 14, conclus. 7, et 8, cum pluribus ibi allegatis.

(167. Arma seu insignia in ecclesia vel capella, aut sepultura posita a primo fundatore nullo modo amoveri possunt, sed semper ibi remanere debent in ejus memoriam. Et nequidem ab ejus hærede mutari possunt, qui novus hæres, si sit alienæ familiæ a fundatore, potest quidem etiam sua arma et insignia ibi reponere, at semper remanentibus illis primis fundatoris cum perpetua inscriptione fidei faciente de primo fundatore. L. *Qui liberalitate*, § *Nec ejus nomine*, ff. *De operibus public.*, ibi: « Nec

ejus nomine, cujus liberalitate opus extructum est, eraso, alia nomina inscribantur. » *Vide verb. Arma seu insignia*, a num. 21 usque in finem.

(168. Violatores sepulturæ seu sepulcri, pro quibus veniunt non tantum qui sepulcrum violant, sed etiam qui inde monumenta, vel alia auferunt, vel cadavera effodiunt et spoliunt, leg. *Si sepulcrum* 2, et l. *Prætor ait* 3, ff. *De sepulcro violato*, ultra infamiam, quam incurrunt, leg. 1, ff. eodem, puniuntur poena arbitraria, et subinde etiam capitali, præsertim si corpora vel ossa eruantur; l. *Prætor ait* 3, et l. final., ff. eod., ibi: « Rei sepulcrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores quidem fortuna ultimo supplicio afficiuntur, honestiores in insulam deportantur, alias autem relegantur, aut ad metallum damnantur. »

(169. Sepultura ecclesiastica non est a parochio retardanda seu differenda cavaderibus sub prætextu compositionis Quartæ Funeralis. Sacra congreg. Episcop. et Regular., in *Cassanensi* 5 Maii 1617. (170. Nec etiam propter jus sepulturæ minime solutum, cum nulla ratio patiatur, Christianæque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarium interesse cadavera in sepultra remanere. Sacra congregat. Episcop. et Regul., in *Crotoniensi* 17 Septembris 1617.

(171. Cadavera enim pauperum fidelium gratis omnino tumulari et sepulturæ tradi debent. Sacra congreg. Episcop. et Regul., in d. *Cassanensi* 5 Maii 1617; Clemens IX, in constitut. 38, incipient. *In excelsa*.

(172. Ecclesiastica sepultura carere debent omnes non baptizati, uti sunt Judæi, Turcæ seu Pagani. C. *Ecclesiam* 26, cap. *Ecclesiam* 27, distinct. 1, De consecrat. Huc pertinent etiam infantes Catholicorum certo decedentes sine baptismo: si vero dubium sit, an sint, vel non valide baptizati, non sunt privandi ecclesiastica sepultura. Engel, lib. III *Decretal.*, tit. 28, num. 17; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 77; Samuel., *De sepultur.*, tract. 2, contr. 3, conclus. 13, cum aliis ibi allegatis. Arg. cap. *In obscuris* 30, De regul. jur. in 6. Item huc reducuntur catechumeni, quia et ipsi baptismo carent. Paludan., in 4, dist. 4, quæst. 3, art. 1; Layman, lib. III, tract. 6, cap. 12, n. 10; La Croix, lib. XVII, num. 150, cum aliis ibi allegatis; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 28, num. 61; Reiffenst., *ibid.*, num. 77, ubi testatur etiam de communi. Quamvis tamen Samuel., *loco cit.*, conclus. 13, dicat catechumenos esse sepeliendos in loco sacro, quia jam pro fidelibus habentur, uti etiam tenet Gobat, *De baptismo*, num. 620, vers. *Cum ad Apostolicam*, De presbyt. non baptizato.

(173. Item ecclesiastica sepultura carere debent hæretici, et in puncto hæresis eorum receptores, defensores, fautores, etc., cap. *Sicut* 8, cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes*, De hæretic., cap. *Quicumque* 2, eodem in 6, Etiam si hæresis solum per mortem eorum

fuerit detecta. Argum. cap. *Sane* 6, caus. 24, quæst. 2.

(174. Item notorie excommunicati. Cap. *De communione* 1, caus. 24, quæst. 2, cap. *Sacris* 12, De sepulturis, nisi in articulo mortis signa poenitentiae dederint, ac per eos non steterit, quominus fuerint absoluti. In tali enim casu dicti excommunicati etiam post mortem ritu ab Ecclesiæ præscripto absolvi, sicque absoluti in loco sacro sepeliri possunt ac debent, cap. *A nobis* 28, De sentent. excomm. in 6. Et sic expresse declaravit sac. congregat. Episc. et Reg., in *Nolana* 19 Julii 1619, apud Barbos., lib. II *Jur. eccles. univers.*, cap. 10, num. 40, et *De offic. et potestat. parochi*, part. III, cap. 26, num. 40.

(175. Item interdicti notorii et denunciati. Clement. 1, *De sepultur.* Generaliter enim per omne interdictum, sive locale, sive personale usus ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur. Cap. *Cum et plantare*, § *Quod si templarii*, De privileg., et idem de suspensis ab ingressu ecclesiæ deciditur. C. *Is cui* 20, § *Talis quoque*, De sentent. excomm. in 6.

(176. Item publici et manifesti usurarii, nisi alienum restituerint, vel idoneam dederint de restituendo cautionem. C. *Quia* 4, De usuris. c. *Quamquam* 2, eod. in 6.

(177. Item manifesti raptores et ecclesiarum violatores. Cap. *Super eo* 2, De raptorib. Secus vero est dicendum, si occulti sint et confessi, ac restitutionem fecerint per se vel per alios. At tunc sunt in cœmeterio tumulandi absque clero. Ex citat. cap. *Super eo* 2, De raptoribus.

(178. Item decedentes in torneamentis. Cap. *Felicis* 1, et cap. *Ad audientiam* 2, De torneamentis.

(179. Item decedentes in duello, juxta dicta sub verb. *DUELLUM*. Vide *ibi*.

(180. Item qui per annum integrum non confitentur, et tempore Paschali sacram sinaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio sacerdotis prærogassent. Cap. *Omnes utriusque* 12, De poenit. et remissionibus.

(181. Item publice blasphemantes Deum ac sanctos, et præsertim Beat. M. V. et impenitentes morientes, seu poenitentiam eis injunctam non facientes. C. *Statuimus* 2, De maledicis.

(182. Item decimas recipientes et ecclesiæ non restituentes. Cap. *Prohibemus* 19, De decimis, ibi: « Si quis vero recipit (decimas), et ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura privetur. »

(183. Item semetipsos voluntarie ex impatientia, ira et desperatione, et alia simili causa occidentes. Cap. *Placuit* 12, caus. 23, q. 5.

(184. Advertunt tamen Covarruv., lib. II *Variar. resolut.*, cap. 1, num. 11; Navarr., lib. III, consil. 7, *De sepultur.*; Socinus jun., consil. 51, lib. I; Pirrhing, lib. III *Decretal.*, tit. 28, num. 65; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 89; Barbosa, lib. II *Jur. ec-*